



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ALINDAOËNSIS** IN AFRICA MEDIA NOVA
CONDITUR

DIOECESIS ALINDAOËNSIS APPELLANDA Quadraginta per annos, favente divina gratia, spiritualiter valde crevit dioecesis Bangassuensis. Quamobrem Praefectus Congregationis pro Gentium Evangelizatione postulavit a Nobis ut, huius ecclesiasticae circumscriptionis detracta quadam parte, nova exinde dioecesis erigeretur. Nos itaque, favente eidem consilio Venerabili Fratre Iosepho Chennoth, Archiepiscopo titulo Milevitano et in Republica Africae Mediae Apostolico Nuntio, de consilio eiusdem Congregationis pro Gentium Evangelizatione, preces ad Nos admotas accipiendas censemus. De plenitudine ideo Apostolicae potestatis Nostrae a dioecesi Bangassuensi seiungimus integrum territorium Praefecturae civilis vulgo dictae Basse-Kotto atque ex ita distracto territorio novam dioecesim constituimus Alindaoënsem nuncupandam. Huius novae ditionis sedem in urbe Alindao statuimus ac templum Sacro Cordi dicatum in eadem urbe situm ad gradum dignitatemque ecclesiae Cathedralis evehimus. Novam hanc dioecesanam communitatem obnoxiam facimus Congregationi pro Gentium Evangelizatione atque suffraganeam constituimus Ecclesiae Metropolitanae Banguensi eiusque Episcopum subdimus metropolitico iuri Archiepiscopi illius Sedis. Quod vero ad Consilia in dioecesi instituenda attinet necnon Curiam episcopalem et Seminarium, sacerdotum formationem, bonorum ecclesiasticorum administrationem, sede vacante administratoris electionem, fidelium iura horumque similia, serventur quae sacri canones praescribunt. Documenta insuper et acta quae conditam hanc dioecesim respiciunt, ad eandem Curiam mittantur ibique in tabulario serventur. Simul ac dioecesis Alindaoënsis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censeantur in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero clerici Seminarii que tirones Ecclesiae illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium. Haec autem ad singula Nostra mandata exsequenda superius commemoratum Venerabilem Fratrem Iosephum Chennoth destinamus, universas necessarias et opportunas ei tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet ministrum in ecclesiastica dignitate iam constitutum, onere iniuncto ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione authenticum exemplum actus eiusdem peractae executionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram tam nunc quam in posterum ratam esse iubemus, contrariis quibuslibet causis haudquaquam obsistentibus. Datum Romae, apud Sanctum

Petrum, die duodevicesimo mensis Decembris, anno Domini bismillesimo quarto, Pontificatus
Nostri vicesimo septimo.

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	CRESCENTIUS card. SEPE <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. XCVII (2005), n. 2, pp. 128-129

© Copyright 2004- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana